
DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VOMITIONE.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

VOMITIONE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS FARQUHAR,

SCOTUS,

CHIRURGUS,

SOCIETATIS REGIÆ PHYSICÆ EDIN.

PRÆSES ANNUUS.

“ *Firma valent per se, nullumque MACHAONA quærunt :*

“ *Ad medicam dubius confugit æger opem.*”

OVID.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1803.

VIRO ERUDITISSIMO,
ALEXANDRO MONRO

SEGUNDO

M. D.,

ANATOMICORUM

PRINCIPI ;

QUI,

APOLLINE FAVENTE,

MORTI EUM

ERIPUIT ;

HANC DISPUTATIONEM,

ANIMI BENEFICIORUM

INOBLITI

MONUMENTUM,

D. D. DQUE

GULIELMUS FARQUHAR.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

VIRO REVERENDO

GULIELMO CRAWFORD,

STRAITONIÆ

IN

PRÆFECTURA AËRENSI

S. T. P.,

CONSANGUINEO ET AMICO SPECTATISSIMO,

NON SOLUM

BENIGNA INGENII VENA

PRÆDITO,

SED ETIAM LITERIS

ÆUM HUMANIORIBUS TUM RECONDITIS

ORNATO,

HOC PEREXIGUUM

AMICITIÆ ET GRATI ANIMI

TESTIMONIUM

OFFERT

GULIELMUS FARQUHAR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VOMITIONE.

§ 1. **E**X quo tempore homines studuerunt morbos sanare, haud ignorabant, ad quosdam curandos multùm pollere vomitionem. Quantùm hæc posset, didicerunt medici, ut à CICERONE accipimus *, ex observatis canibus ; qui, quoties crapulâ onerantur,

A instinctu

* Vid. CICERON. *De Nat. Deor.* lib. II. cap. L. edit.

instinctu quodam moti herbulam devorant, quæ vomitum cieat, atque sic sese curant.

II. Hanc rem persequendo, nobis consilium est, primùm explicare, quibus vomitio actio- nibus, et quo modo, perficiatur ; deindè quæ- rere, quæ eam moveant ; tùm breviter consi- derare, quos in corpus, præcipuè humanum, præstet effectus ; postremò paucis explicare, in quibus potissimùm morbis prosit. De his dein- ceps partibus, statuimus, pro ingenii viribus, pauca scribere.

PARS

PARS PRIMA.

Quibus actionibus, et quo modo, perficiatur vomitus.

III. CIBI et potionis receptaculum, quod à LATINIS scriptoribus modò ventriculus, modò stomachus nominatur, ex parte *epigastrium* occupat, ex parte sinistrum *hypocondriorum*, itemque dextrum; atque plurimis instruitur carnosis fibris, quarum aliæ in longitudinem sese arcuant, aliæ sese distribuunt in circuitum.

IV. Duobus, porrò, finibus, seu extremitatibus, terminatur; quorum unus in sinistram spectat partem, immobilior, et superior paulo; alter in dextram, mobilis, et paulo inferior.

V. Quinetiam,

v. Quinetiam, duobus finitur marginibus, uno gibbo, concavo altero : quorum ille, quippe mobilis, ubi plenus ventriculus est, antica versus vergit, ubi vacuus, decidit paululùm ; hic, non item.

vi. Ad hoc, plenus ventriculus suprâ et infrâ patet in superficiem ; inanis autem, antè et pòst.

vii. His accedat, quòd, ex utraque parte, prope fines, cibi et potionis receptaculo osculum est ; sinistrum *CARDIA* appellatum, plurimisque instructum nervis ; dextrum autem *PYLORUS* nominatum, paucioribus sanè nervis præditum, at plurimis glandulis, quæ mucum secernant.

viii. In hoc, denique, receptaculum ducuntur arteriæ, partim ex ipsa *cæliaca* tractæ et profectæ ; partim ex ramis, quos hæc arteria emittit in hepar et splenem. Venæ sanguinem, ex arteriis acceptum, in eam conducunt

cunt venam, per quam sanguis à splene in sinum venæ portarum perlabitur. Vasa bibula, quæ, ubique stomachi, osculis patulis incipiunt, humorem confundunt in ductum, qui à medicis *THORACICUS* appellatur. Nervi, qui in penum alimentorum surculos quoquoversum tendunt, ex *gastrico* proficiscuntur *plexu*; qui, profectò, ipse conficitur ex intertextis fibrillis, *pari* utrobique *vago* et *intercostali* ortis.

ix. Carnosis fibris, quæ, in longitudinem ventriculi, sese curvant, contractis, *pylorus* astringitur, simulque, sursum aliquatenus retractus, *cardiæ* appropinquat; neque interea permittit, ut perlabatur quicquam in summum intestinum. Iisdem verò fibris relaxatis, relaxatus *pylorus* longius à *cardia* delabatur; neque diutiùs impedit, ne, per eum, concocta alimenta in summum intestinum defluant.

x. Circularibus

x. Circularibus fibris contractis, dum simul relaxantur eæ, quæ in longitudinem pertinent, ventriculus, marginem concavum versus, quippe fixum, sese angustat; atque, motibus septi transversi et abdominis musculorum adjuvantibus, inclusa, per demissum *pylorum*, detrudit. Quoties verò eædem fibræ relaxantur, gibber marginum, utpotè mobilis, concavo longiùs recedit; neque ampliatus sic ventriculus alimentum, coctum atque confectum, detrudere potest in summum intestinum.

xi. Ex musculosis ventriculi fibris, eæ, quæ in longitudinem pertinent, et eæ quæ circum-eunt, rarissimè, sanâ valetudine, unâ simulque sese contrahunt aut relaxant. Sed, his se contrahentibus, relaxant se illæ; relaxantibus, contrahunt. Neque, enimvero, hi duo musculosarum fibrarum ordines simul contrahuntur, aut relaxantur, inter vomendum.

xii. His

XII. His de ventriculo præmissis, quærendum est, quæ primùm vires, dein quo hæ modo, ad vomendum conducant.

XIII. Materia ex ventriculo rejicitur contractione non solùm musculosarum ventriculi fibrarum, quæ in longitudinem pertinent, sed et musculorum, cùm eorum quibus spiritum accipimus, tum eorum quibus reddimus; relaxatis simul carnosis fibris, quæ ventriculum circumeunt.

XIV. Neque, profectò, explicatu difficile est, quo hæ vires modo ad vomitum conferant. Namque, contractis carnosis fibris, quæ in longitudinem ventriculi sese arcuant, obstat, ne ex hoc receptaculo cibi et potiones descendant in summum intestinum; dum, relaxatis muscolosis fibris, tam iis quæ ventriculum ambiunt, quàm iis quæ gulam, permittitur alimentis, ut illinc vi suprâ reddantur. Musculis intereà omnibus, quorum ope spiritum haurimus et emittimus, unà simulque
enixissimè

enixissimè contractis, ventriculus, inter defixum septum transversum et protrusa abdominis viscera, usquè eò comprimitur; ut ex eo inclusa materia sursùm, quà data porta, per relaxatam *cardiam* et gulam erumpat, ingen-teque vi ore rejiciatur.

xv. Priùs verò, quàm hæ vires unà simul-que sese exercent, carnosæ fibræ, quæ ventriculum ambiunt, se deinceps à *pyloro*, *cardiam* versus, contrahunt, sensum molestum, quem *NAUSEAM* nuncupant medici, moventes. Ut primùm ad *cardiam* perventum est, hæ fibræ se relaxant; atque, contractis derepentè fibris musculisque, quos modò (xiv.) diximus, quot-quot in ventriculo sunt, dicto citiùs ore red-duntur.

xvi. Quin contractio omnium simul musculorum, quibus animam recipimus, ad vomendum conducat, imò etiam necessaria sit, nemo sanè dubitare potest, qui animum ad rem attenderit. Nisi enim muscoli, inter co-
stas,

stas, sese contraherent, quemadmodùm possemus spiritum haurire, quantus pulmones distenderet, deorsùmque firmaret septum transversum? quemve ad modum costas ipsas adeò stabilire, ut abdominis muscoli se satìs enixè contraherent? Quinetiam, compertum periculo est, vomitorio assumpto, dein musculis abdominis transversè incisis, nervisque qui in septum transversum surculos diffundunt, miserum animal nausèâ quidem affici, at nullo modo posse alienam stomacho materiam rejicere.

xvii. Providit alma Natura, quâ nihil sanè solertius est utilitatisque studiosius, ut, inter vomendi nisus, pulmones essent animâ quàm plenissimi; ne, si quid in asperam arteriam incideret, spiritus impediretur, miserque mortalis suffocatione periret.

 PARS SECUNDA.
Quibus moveatur vomitus.

XVIII. NULLA re magis inter se differunt homines, quàm facilitate aut difficultate, quâ ad vomitum cientur. Nonnulli adeò fastidiosi sunt, ut, vomitorio medicamento viso memoratove, revocatisve in memoriam aspectu immundis, nausêâ afficiantur, imò interdum etiam vomitu*. Alii sunt, quibus vomitionem vix movent acerrima vomitoria; qui tamen, quod sanè mirum, his inefficacibus, mitioribus nonnunquàm vomitu afficiuntur †.

XIX. EX

* Vid. WHYTT. p. 134.

† Vid. GREGOR. *Conspect. Theoret. Medicin.* tom. II. pag. 317.

XIX. Ex vilioribus tam piscium et avium, quàm quadrupedum generis animalibus, haud pauca, volente animo, possunt vomere. Cibus sic rejectando palumbes et columbæ pullos, itemque interdum fœminæ canes catulos*, nutriunt. Canes, enimvero, et feles, quippe cùm, simul ut velint, possint alienas stomachis naturas rejicere, veneno tollere difficillimum est.

XX. Aliis morbis homines vomitoriorum solito impatientiores redduntur, aliis patientiores. Febrientibus enim vomitum ciere facillimum est: at difficillimum insanis, melancholicis, animoque demissis; qui, profectò, omnes tam vomitoria, quàm cathartica, ultra quàm id, quod possunt sani, impunè patiuntur. Quinetiam, quorum in stomachis stimulantia venena inflammationem accenderunt, ii perpetuâ vomitione et nauseâ vexantur, potumque vel mitissimum dicto citiùs rejiciunt:

* Vid. HALLER. *Physiolog.* pag. 291.

unt: quibus verò stomachorum irritabilitatem hebetârunt venena sedantia, nulla iis vomitoria, nisi asperiora, vomitum excitare possunt.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

*Qui vomitum morbi, et quæ eum fortuitæ causæ
moveant.*

XXI. PRIUSQUAM medicamenta exponimus, quæ dantur eum in finem, ut, morbos arcendi curandive causâ, vomitum moveant; res videtur poscere, ut, hîc loci, paucis memoremus, et qui eum morbi, et quæ eum causæ fortuitæ, interdum cieant.

XXII. Plurimi, enimvero, morbi sunt, quibus ægri vomitu vexantur. Hujusmodi sunt, stomachi cruditates, inflammatio, ulceratio, duritia; inflammatio itemque duritia *pancreatis* et hepatis; dolor colicus, ileus, hernia, verminatio, intestinorum inflammatio; renum
inflammatio

inflammatio itemque urinæ meatuum et vesicæ, urinæ difficultas et impotentia, *lithiasis*; morbus regius; morbi quidam cutis; podagra repulsa; *apoplexia*, cerebri ipsiusve membranarum inflammatio, cerebrum compressum concussumve, cranium fractum, vertigo; animæ deliquium; febres; quidam animi affectus.

XXIII. Quædam, porrò, mala partium corporis sunt, quæ, licèt leviora sint morbis, quos nominatim memoravimus, vomitu tamen mortales afficiunt. Ejusmodi sunt, stomachus vino et cibo gravatus; cartilago, in quam, ab ima parte, desinit os pectoris, inflexa, stomachumque offendens; costæ fractæ, nec benè repositæ; partes, quibus est sensus acerrimus, læsæ et intolerabiliter dolentes.

XXIV. Causæ vomitûs, quas idcirco *FORTUITAS* appellavimus, quòd non eo consilio applicantur, ut, valetudinis causâ, vomitum cieant, multæ et variæ sunt. Ad hoc genus pertinent

nent pili in stomacho ; virus viperinum ; *acidum sulphuricum* in venas injectum ; liquidus et subtilis æther cacuminum excelsissimorum montium ; injucunda palato quædam, necnon visu, auditu, dictu, recordatuque immunda, fœda aut horrida ; *carbonatum hydrogenium*, quod, mirabile dictu, aliquandò, viginti quatuor post horas, vomitum movet, quàm extrinsecùs spiritu in pulmones ductum sit * ; fœtidi odores ; faucium titillatio ; *larynx* extrinsecùs irritata ; et, in fastidiosorum nonnullis, vel vomentium conspectus.—Verùm jam satis digressi sumus ; ad rem propositam revertamur.

SECTIO

* Aud. JACOB. HOM. Prælect. *De Mat. Medic.* in *ACAD. EDIN.*

SECTIO SECUNDA.*Quæ vomitum cieant medicamenta.*

xxv. **MEDICAMENTA**, quæ, quippe cùm vomitum concitent, *VOMITORIA* nominantur, à scriptoribus dividuntur in duo genera: quorum unum parata ex iis continet, quorum stirpes terræ inhærent; alterum, ex iis, quæ è terra fodiuntur.

xxvi. Alii auctores vomitoria distribuunt in mitia et acria. Sunt autem, qui hujusmodi distributionem propterea inutilem esse censent; quòd in primis difficile est discernere, quæ acria aptè habenda sint, quæ mitia; et quòd inter se non tam naturâ differunt, quàm potentiâ.

xxvii. Verùm

XXVII. Verùm nobis tamen videtur, non solùm vi inter se discrepare, sed et indole. *Tartris* enim *potassæ stibiatus*, dose vel exiguâ, multo plùs in stomachum valet, quàm *ipecacuana*, multoque latiùs permeat cæterum corpus. Quinetiam, *sulphas zinci* et *subacetis cupri*, ferè simul ut in ventriculum assumpti sunt, vomitum movent; *ipecacuana*, contrà, aliaque mitiora, non ante quartam tertiamve horæ partem, postquàm devorata sunt.

XXVIII. Quocircà, iis accedimus, qui vomitoria in mitia et acria dividunt; eoque lubentiùs, quòd hæc divisio et eorum naturæ meliùs convenit, et effectus luculentiùs indicat.

XXIX. Mitiora vomitoria, quippe cùm stomachum minùs et breviùs stimulent, quàm acriora, neque tam cæterum corpus afficiant, his anteferenda sunt; quoties, in plenis præcipuè et infirmis, utile sit lenem vomitum movere, neque tamen opus videatur graviter con-

cutere totum corpus. Satis vacuefaciunt stomachum alienis et irritantibus naturis, neque ullum tamen intereà afferunt periculum. Hujuscemodi vomitoria sunt *ipecacuana*, asarum EUROPEUM, scilla maritima, sinapis nigra, raphanus rusticanus, chamæmelon, et *aqua ammoniæ*.

xxx. Acriora, contrà, vomitoria lenioribus anteponenda sunt, ubi requiritur, non solum ut stomachus omnibus offendentibus exiniatur, sed etiam ut vehementer conquassetur totum corpus. Quinetiam, robustis et melancholicis aptiora sunt, itemque omnibus, qui ad vomendum ægrè cientur. Hujus autem generis vomitoriorum præcipua sunt *tartris potassæ stibiatus*, *sulphas zinci*, *sulphas cupri*, *subacetis cupri*, *subsulphas hydrargyri flavus*, *nicotiana*, *digitalis purpurea*, et erigeron.

xxxI. Proximum est, ut medicamenta vomitoria singulatim exponamus; primùm ea, quæ ex terrâ natis parantur, dein ea, quæ ex fossilibus.

CAP. I.

*De vomitoriis, quæ suggerunt ea, quæ oriuntur
è terra.*

XXXII. *IPECACUANA*—*AMERICÆ AUSTRALIS* indigena, itemque quarundam *HISPANICARUM* occidentis semiorbis insularum, est radix geniculatim flexuosa; unum propè digitum longa; gustatu subacris, et ex austerula subamara; exsiccata, odoris ferè expers; colore aut fusca aut cinerea.

XXXIII. Ex coloris similitudine, hæc radix in *CINEREAM* et *FUSCAM* distinguitur. Priorem ex *PERUVIA* mercatores *HISPANI* in *EUROPAM* important; posteriorem ex *BRASILIA*, *LUSITANI*.

TANI *. Illa, in editis potissimum regionibus, circa aurifodinas, crescit ; hæc, in humilioribus, silvosis et humidis. Cinerea, seu PERUVIANA, ut à BERNHARDO VALENTINIO † accipimus, imperante tyranno, colligitur à miseris mortalibus, qui in metalla damnati sunt. Hæc, in nostris regionibus, magis in usum trahitur, proptereà quòd compererunt medici, mitiorem esse, quàm fuscam, et abundè tamen ad movendum vomitum pollere.

xxxiv. Hujus radicis virtutes, vomitoria nempè et cathartica, insunt naturis, resinosæ et gummosæ, hærentibus in cortice, seu parte exteriori, quæ aspera est, multisque ornata annulis. Interior lignosa adedè iners reperitur, ut ex ea ferè nihil efficacis ullius naturæ separari possit.

xxxv. Fa-

* Vid. CARTHEUSER. *Fundament. Mater. Medic.* Sect. XII. cap. IV. § II.

† Vid. BERNHARD. VALENTIN. in *Hist. Simpl. Reform.* Lib: II. cap. I.

XXXV. Facultas vomitoria, uti putat CAR-
THEUSERUS *, in resinosa natura, in gummosa
autem cathartica, præcipuè latet. IRVINO,
contrà, videtur, gummosam naturam vomitum
ciendi vi pollere.

XXXVI. *Alcohol*, aut vinum, quo *ipecacuana*
macerata sit, vehemens vomitorium est, atque,
vaporatione factâ, residua materia adhuc ve-
hementius. Radix, sic macerata, potentiam
vomitoriam prorsùs amittit; neque aqua, in
qua dein maceratur, quid elicit, præter natu-
ram mucosam, mollem, et fermè omninò iner-
tem.

XXXVII. At verò aqua decocta ex *ipecacua-*
na, quæ non priùs in *alcohole* macerata sit,
cùm gummosam naturam, tum ex parte resi-
nosam, extrahit; atque tam ipsa, quàm resi-
duum,

* Vid. CARTHEUSER, *Fundam. Mater. Medic.* Sect. XII.
cap. IV. § IV.

duum, quod vaporatione deponit, lenem vomitum ciendi vim possidet. Decocta sic aqua aliquantùm astrictoria est, quandoquidem, *sulphate ferri* adjuvante, lintea nigrore suffundit.

xxxviii. Acetum, quamvis *ipecacuanæ* vires, ex parte, dissolvat, tamen, cùm minùs efficaces reddat, neutiquàm idoneum est, quod eas eliciat. Comperit, enimvero, IRVINUS, triginta contritæ radicis grana, cum duabus aceti unciis, in stomachum assumpta, nihil præterquàm alvum leniter purgare.

xxxix. Omnium hujus generis vomitoriorum *ipecacuana*, uti mitissimum, ita fortassè tutissimum. Minùs, quàm cætera commovet corpus; neque, enimvero, justo vehementiùs aut diutiùs stimulat ipsum stomachum. Hæc radix in pulverem subtilissimum contrita, adultis à decem ad viginti grana datur. Grana, enimvero, decem hujus pulveris, ut experi-
 rientiâ

rientiâ edoctus est GEOFFROIUS*, vomitum æquè validè movent, ac grana viginti quinque. Imò etiam compertum est, pulverem, nimiâ copiâ assumptum, brevi, ex toto, rejici, neque ullum postea vomitum subsequi.

XL. *Ipecacuana*, in stomachum assumpta, “ mobilia recrementa, per superiora æquè ac “ inferiora, exterminat, et, evacuatione per- “ actâ, per residuas quasdam partes terreas “ tunicis laxis, leviter constringendo, robur “ paululum rursùs conciliat. Egregium pro- “ indè atque specificum evacuans prædicatur “ in fluore albo mulierum, et incipiente dy- “ senteria stomachali, præsertim, si parte re- “ sinusâ, per spiritum vini, nonnihil orbata “ fuerit †.”

XLI. *SCILLÆ*

* Vid. CARTHEUSER. *Fundam. Mater. Medic.* Sect. XII. cap. IV. § VI. in nota.

† Vid. CARTHEUSER. *Fundam. Mater. Medic.* Sect. XII. cap. IV. § VI.

XLI. *SCILLÆ*—seu squillæ radix est bulbosa, è lamellis crassis, et succosis, et commune centrum habentibus composita. Persæpè in capitis infantilis magnitudinem increscit; atque, æquè ac aliæ radices bulbosæ, ex inferiore parte multas fibras crassas emittit.

XLII. Scillæ sponte, nullo colente, in locis humidis, maritimis proveniunt. Earum in primis fertiles sunt oræ et insulæ, quas alluit *MEDITERRANEUM MARE*, itemque regiones, quæ huic adjacent. Incredibilem earum multitudinem quotannis fundunt *INSULÆ BALEARES*, *BARBARIA* circa *TRIPOLIM*, *SICILIA*, *APULIA*, *LUSITANIA*, *HISPANIA*; undè à comitantibus mercatoribus, lucri causâ, longè latèque per gentes distribuuntur*.

XLIII. Scil-

* Vid. *CARTHEUSER. Fundam. Mater. Medic. Sect. x. cap. III. § II.*

XLIII. Scillarum lamellæ sunt rubellæ albidæve ; et, si albidæ, sole vel igne exsiccatae aliquantùm flavescunt. Saporem mucosum, acrem, amarissimum ac nauseosum movent ; qui linguæ diù et pertinacissimè inhæret, et salivam uberrimè proritat.

XLIV. Recentes scillæ, sectæ aut contritæ, subito exhalant subtilissimum atque acerrimum odorem ; qui, pariter atque is quem contusus raphanus rusticanus, aut cepæ vulgares, nares vehementissimè ferit, facitque, ut oculi, sicut mœrore flentium, lachrymas profundant. Exsiccatione verò diffusili et pungente odore, ferè ex toto, orbantur*.

XLV. Scillarum recentium succus adeò acris est, ut contrectantium manus exulceret. Quocircà, necessarium videtur in frusta eas incidere, et aëre aut igne exsiccare, quò ali-

D quid

* Vid. CARTHEUSER. *Fundam. Mater. Medic.* Sect. x. cap. III. § I.

quid acrimoniæ priùs amittant, quàm in medicos usus adhibeantur*.

XLVI. Acetum scilliticum, à duabus ad tres drachmas, nonnunquàm eum in finem præscribunt medici, ut vomitum moveat. Eodem quoque consilio, aliquandò sirupum infantibus dandum curant, iis præcipuè, qui *pertussi* urgentur.

XLVII. *ASARUM EUROPEUM*,—seu *asarabacca*, in quibusdam *EUROPÆ* partibus indigena est, in *GALLIA* præcipuè et *ITALIA*. In *ANGLIA* tantùm parcè provenit, præ cœli intemperie. Olim, ante *ipecacuanam* cognitam, nonnunquàm à medicis dabatur, ut cieret vomitum.

XLVIII. Vires vomitoriæ foliis potissimùm et radicibus inhærent; quæ gustatu amara
sunt

* Vid. BERNHARD. VALENTIN. in *Hist. Simplicium Reformat.* Lib. II. sect. II. cap. XXXIV.

sunt et subacria, sed exsiccata nullum ferè odorem exhalant. Foliorum exsiccatorum grana viginti, radicis autem exsiccatae grana duo, vomitum vehementem movent.

XLIX. Verùm hoc tamen medicamentum, cùm nullâ re *ipecacuanæ* præcellat, et nonnunquàm, vel modicâ dose, excitet vomitum optato graviolem, nostrâ ætate, ferè omninò exolevit.

L. *NICOTIANA*,—seu *herba sancta*, seu *tabacum*, olim tantummodò in BRASILIA, PERUVIA, MEXICANA, INSULA TABAGA, aliisque AMERICÆ regionibus, sponte proveniebat ; neque EUROPÆIS, ante annum, post CHRISTUM natum, millesimum, quingentesimum, quinquagesimum, sextum, innotuisse dicitur*.

LI. Eo

* Vid. CARTHEUSER, *Fundam. Mater. Medic.* Sect. XIII. cap. III. § I.

LI. Eo ferè tempore, EUROPEORUM, qui, à patria domoque profugi, aut novas sedes aurumve petentes, navibus se ATLANTICUM OCEANUM transportaverant ; et, aborigines AMERICANOS imitati, *tabaci* foliis, quibus nihil palato incorrupto et stomacho magis injucundum, uti ausi erant ; nonnulli reduces pravam consuetudinem, in quam imitatione erant peregrè adducti, in patriam invexerunt. Rei novitate, ipsâ fortassè saporis injucunditate, imò etiam insatiabili mercatorum cupidine, translatus mos inter cives invaluit, neque multò pòst in omnes EUROPE populos permanavit. Haud longo pòst tempore, ubique ferè gentium, tanta *tabaci* cupiditas mortales invasit, ut ejus usu inter se conviviis certarent ; perindè ac si, cæteris animi et corporis gaudiis spretis, summum bonum et unicam voluptatem, in immundissima salivæ, sternutationis, et fumi communitate, posuissent.

LII. *Tabaci* folia, etiam exiguâ tantummodo copiâ, in stomachum assumpta, vehementem vomitum excitant. Aqua quoque, in
qua

qua macerata folia sint, vomitum ciendi facultate pollet, et nonnunquàm à medicis, hoc consilio, data est. Folia quidem extrinsecùs abdomini, contra stomachum, imposita, pòst aliquantò movent vomitionem; et fortassè medicis interdum licet, ea, hunc in finem, imponenda curent, modò vomitoria in stomachum ingeri non possint.

LIII. *DIGITALIS PURPUREA*—in dumetis, vepretis, et locis secretis incultuque squalidis, sponte crescit. Purpureis verò floribus tanta pulchritudo est, ut à curiosis plantarum sit in hortos translata. Amara et nauseosa est; et, vel parvulâ copiâ assumpta in stomachum, gravem nauseam et vomitum movet, simulque facit, ut animus admodùm demittatur. Rarissimè eo consilio assumendam curant medici, ut vomitum cieat.

LIV. *SINAPIS NIGRA*,—eum in finem, ut concitet vomitum, proptereà assumitur, quòd ab omnibus, etiam pauperrimis, commodè et parvo pretio parari potest. Aqua, contritis in
pulverem

pulverem ejus seminibus penitùs imbuta, majusculâ dosi, perbrevis vomitum movet; et, quoniam simul nervos salutariter stimulat, cæteris vomitoriis anteferenda est ab iis, qui nervorum resolutione afficiuntur. Quò verò optatum vomitum cieat, diluentia affatim bibenda sunt.

LV. *RAPHANUS RUSTICANUS*,—seu *cochlearia armoracia*, nonnunquam nascitur prope margines fluviorum rivulorumque, et in aliis locis humidis. Is verò, qui in medicos usus paratur, in vineis colitur et hortis.

LVI. Hujus plantæ radix gustatu acerrima est, atque ex subdulci pungens. Rasa aut contusa emittit subtilem et copiosum halitum; qui oculos naresque adeò mordet, ut illi, sicut flentium, illachrymentur, hæ pituitam ubertim effundant. Exsiccatione verò, acrimoniâ amissâ, dulcescit primùm, dein ferè prorsùs insulsa fit*.

LVII. Aqua,

* Vid. CARTHEUSER. *Fundam. Mater. Medic.* Sect. x. cap. vi. § I.

LVII. Aqua, in qua macerata radix sit, vi vomitoriâ pollet. Si igitur idoneâ copiâ assumatur, unâ cum largo haustu aquæ tepidæ, facilem vomitum excitat. Quò autem vomitum cieat, aut per se adhibeatur, aut, si medicis potius videatur, unâ cum alijs vomitorijs.

LVIII. *CHAMÆMELON*,—seu *anthemis nobilis*, in campestribus ITALIÆ, plurium regionum calidarum, itemque ANGLIÆ locis, sine cultura, crescit. In ijs verò regionibus, quæ ad septentriones magis vergunt, hominum cultum et diligentiam requirit, atque tantummodò in hortis reperitur*.

LIX. Odorem valdè aromaticum, neque tamen injucundum, spargit, atque gustatu apprimè amarum est. Aqua, maceratis foliis penitùs imbuta, haud rarò assumitur, ut vomitum

* Vid. CARTHEUSER. *Fundam. Mater. Medic.* Sect. XIV. cap. XXIII. § I.

mitum faciat. Aqua, iisdem minùs saturata, persæpè adhibetur, ut ejus subsidio citiùs agant alia vomitoria.

LX. *ERIGERON*,—seu *senecio vulgaris*, nonnunquàm, apud nos, à vulgo hominum adhibetur, quò vomitum cieat. Frigidum, enimvero, stomacho extrinsecùs superpositum, paucis pòst horis, vehementem vomitionem excitat; interdùmque, ut *STEDMANUS* aliique comperti sunt, multùm pollet ad abigendas febres intermittentes*.

C A P.

* Vid. *EDIN. Medical Essays and Observations*, vol. II. artic. v.

CAP. II.

*De vomitoriis quæ ex iis præparantur, quæ
fodiuntur è terra.*

LXI. VOMITORIA, quæ hoc genere comprehenduntur, sunt *tartris potassæ stibiatus, sulphas zinci, sulphas cupri, subacetis cupri, subsulphas hydrargyri flavus, et aqua ammoniæ.*

LXII. Quoniam præclaris ingeniis *chymistarum*, qui, gnaviter experiendo edocti, haud ità pridem scriptis rem *chymicam* novârunt pariter et amplificârunt, ipsa vomitoriorum, quæ memoravimus, nomina, ex professò, et aptissimè partes eorum componentes indicant: nobis haud necessarium videtur describere, quibus *chymicis* operibus singula præparentur; è-
E que

que minùs, quòd omnibus in manu sunt, *pharmacopœiæ*, EDINBURGENA et LONDINIENSIS, in quibus hæc lucidissimè elegantissimè-que exponuntur.

LXIII. *TARTRIS POTASSÆ STIBIATUS*,—secundum *ipêcacuanam*, sæpissimè à medicis datur, ut vomitum excitet. Sesquigranum, aquæ sescunciâ solutum, media copia est. Plerumquè verò medici præscribunt, ut grana quatuor totidem aquæ unciis dissolvantur ; et liquoris cochleare majusculum, quintâ quartâve quâque horæ parte, ægri assumant, donec inceperit vomitus, dein affatim bibant aquam tepidam.

LXIV. *SULPHAS ZINCI*,—copiâ à granis quinque ad scrupulum, potentissimum vomitorium est, neque tamen magnam stomachi malaciam et invaletudinem inducit. Quum vomitum derepentè moveat, optimum est vomitorium, quo ex stomacho venena expellantur.

LXV. *SULPHAS*

LXV. *SULPHAS CUPRI*,—aquâ liquatus, nonnunquàm assumitur, ut cieat vomitum. Sequentē ferè modo adhibetur. Semilibræ aquæ haustæ confestim superbibitur aquæ uncia, quâ *sulphas cupri*, copiâ ab uno grano ad grana quinque, solutus est. Acceptam portionem stomachus plerumquè instanter revomit, neque ulla ferè nausea subsequitur.

LXVI. *SUBACETIS CUPRI*—dicitur, haud secus atque *sulphas cupri*, præsentissimum, at tutum tamen, vomitum ciere. Hunc in finem, unum alterumve granum, unciâ aquæ liquatum, continenti spiritu, hauritur.

LXVII. *SUBSULPHAS HYDRARGYRI FLAVUS*—vehementissimum sanè vomitorium est. Sed, cum stomachum sæpè optato graviùs commoveat, et, nisi brevi pòst sumatur catharticum, etiam salivam citet; rarissimè hodiè præscribitur, præterquàm iis, qui *lue veneræ*, *blennorrhagiæ*, *hydrophobiæ*, glandularumve duriis laborant. Copia assumenda, à duobus
granis

granis ad sex octove, variat, pro ægri ætate et viribus.

LXVIII. *AQUA AMMONIÆ.*—Tantum hujus aquæ, quantum continet cochleare minusculum, tepidâ aquâ dilutum, peridoneum medicamentum domesticum est, quod, ubi valentiore vomitorio non opus est, assumant ægroti, ut vomitum excitet. Quinetiam, cùm, ut interdum, vel acriora et valentiora vomitoria non responderint assumpta, diluta *ammoniæ aqua* bonum medicamentum auxiliare est, quod superbibat ægrotus, ut vomitus optatò moveatur.

PARS TERTIA.

Quos in corpus humanum effectus agat vomitio.

LXIX. DICTIS medicamentis, quibus moveatur vomitus, proximum est, ut consideremus, quæ hic in corpus humanum effecta habeat.

LXX. Satis constat, vomitione non stomachum modò, sed plerumquè summum quoque intestinum, omni materiâ, qualiscunque sit, depleri; simulque omnes glandulas, ex quibus ductæ viæ in stomachum et intestina pertinent, præ sanguine in ipsas vomendi nisibus copiosius distributo, plus proprii humoris secernere, atque in has partes transmittere.

LXXI. Quin-

LXXI. Quinetiam interdum, tempore haud longo post vomitum finitum, alvus aut medicamento in eam delapso, aut humoribus ex colis glandularum patulisque arteriarum surculis infuso, aut utrisque simul, solvitur, et liquidas fæces semel compluriesve dejicit.

LXXII. Omnibus, porrò, musculis, quibus spiritus hauritur et emittitur, unà simulque, inter vomendum, enixissimè contractis, sanguis ex sinistro cordis ventriculo, per magnam arteriam, in omnes corporis partes valentiùs æqualiùsque distribuitur; simulque ex omnibus corporis partibus, præter caput, properantiùs, per venam cavam, conducitur in dextram cordis auriculam.

LXXIII. Sed, etiamsi, dum singulis vomendi nisibus sanguis, per arterias, enixiùs et copiosiùs impellitur, pulmones, contento spiritu admodùm distenti, obstant, ne à capite expeditè per venas redeat; singulis tamen nisibus finitis, spirituque ex pulmonibus reddito,
sanguis,

sanguis, quippe cui permittatur expeditus transmissus à dextra cordis auricula per pulmones in sinistram, facilè, ut antea, à capite revertitur.

LXXIV. Ad hoc, dum, incitato sanguinis, per magnam arteriam, motu, patuli hujus surculi laticem uberiùs exhalant ; accelerato interea, per venam cavam, sanguinis reditu, humor à patentibus vasorum bibulorum osculis cupidiùs resorbetur, sorptusque, per horum coëuntes rivulos rivosque, velociùs in *venas subclavianas* confluit : quo fit, ut, quanto plus humoris aquosi ex patulis arteriis effundatur, tanto plus, per vasa bibula, recipiatur in venas.

LXXV. Vehemente, denique, totius corporis inter vomendum commotione, incitatoque sanguinis motu, cerebrum solito plùs excitatur ; hincque nervosa natura, qualiscunque sit, per nervos in omne corpus effusiùs atque æqualiùs transmittitur.

 PARS QUARTA.

In quibus potissimum morbis prosit vomitus.

LXXVI. CÆTERAS rei nostræ partes exsecuti, nunc paucis explanabimus, ad quos potissimum morbos curandos levandosve conducat vomitio, ne manca nostra oratio videatur.

LXXVII. FEBRES.—Quum, ut modò exposuimus, vomitio non solùm stomachum, itemque sæpè intestina vacuefaciat ; sed etiam sanguinem in omnes corporis partes æqualiter distribuat, exhalationem patularum arteriarum moveat, languidumque cerebrum et nervos excitet : initio febrium continuarum, præsentissimum remedium est ; et, enimvero, eas haud rarò prorsùs discutit.

LXXVIII. Quin-

LXXVIII. Quinetiam, vomitio plurimùm valet ad curandas febres remittentes et intermittentes. Nam, inter horrorem mota, facit, ut calor præfestinet ; et sic morbi consuetudinem adeò frangit, ut, si dein assumantur medicamenta idonea, quæ sudorem properent, accessio, ante tempus, finiatur, et morbus persæpè omninò desinat.

LXXIX. Ubì verò febris magnam vim inflammationis habet, et nimio sanguinis impetu cerebrum vehementer excitatur, vomitum ciere admodùm periculosum est. Namque vomendi nisibus fieri potest, ut in caput sanguis tantâ vi impellatur, quanta veram cerebri membranarumve inflammationem accendat, et miserando ægrotò mortis gradum properet.

LXXX. *PHLEGMASIÆ*.—Incipientibus quoque inflammationibus quibusdam, quæ febrem habent, vomitu optimè subvenitur ; inflammationi, nempe, asperæ arteriæ, et tonsillarum,

rum, et haud scimus annon interdum etiam ei pulmonum, investientisque thoracem membranæ. Namque tempestiva vomitio, sanguinem in partes corporis æqualiter omnes distribuendo, atque cutis halitum movendo interdumque alvum, consequitur nonnunquàm, ut sanguis derivetur ex inflammatis partibus, et vel levetur vel digeratur morbus. Cæteris verò inflammationibus, quas comitatur febris, vomitus vix, si omninò, convenit.

LXXXI. *EXANTHEMATATA.*—*Variolæ et rubeolæ* accessu, utile est vomitum ciere, quo stomachus evacuetur, et, sanguine in corpus totum æqualiter distributo, eliciatur cutis halitus. Edocuit enim experientia, hæc tempestivè facta haud rarò efficere, ut consequatur levior morbus.

LXXXII. *PROFLUVIA.*—Vomitum, ea efficiendo quæ semel iterumque jam diximus, remedium peculiariter fermè efficax est ad levandos curandosve duos morbos, qui hoc ordine

à

à CULLENO collocantur ; destillationem, nempe, et intestinorum difficultatem.

LXXXIII. *HÆMORRHAGIÆ.*—CULLENUS, BRIANO ROBINSONE præeunte, expertus compluries est, an, in omne æqualiter corpus sanguinem diffundendo, ex pulmone sanguinem exscreantibus extussientibusve proficeret vomitus. Compluries, profectò, hic ad spem respondit. Semel autem, præter expectationem, sanguinem tantâ copiâ scaturire fecit, ut deterritus CULLENUS nunquàm postea experiri auderet. Compertus tamen est, parvulis vomitoriorum portionibus sanguinem exspuentibus nauseolam movere, uti tutum erat, ita utile esse remedium.

LXXXIV. *COMATA.*—Ubi quisquam hominum, stupefacientibus devoratis, attonitus est, et advocatus medicus putat esse, quamobrèm hæc in stomacho etiamnùm morari credat, vomitus, nullâ morâ, potentissimis medicamentis ciendus est. Sanguis quidem vomendi nisibus

sibus in caput majore vi et copiâ impellitur, et sic potest, ad tempus, attonitum graviore sopore opprimere. Sed hîc, ut alibi, ex duobus malis, quorum alterutrum ferendum est, semper eligendum minus: nam, sublatâ per vomitionem veterni causâ, fieri possit, ut sopore devinctus exsuscitetur, atque ex simillima mortis imagine reviviscat.

LXXXV. *ADYNAMIÆ.*—In eo morbo, qui in cibos concoquendi difficultate vel impotentia consistit, quoniam cruditates, seu corruptæ inconfectorum ciborum reliquiæ, acore, ructu, ruminatione, et urentibus acerbissimisque stomachi doloribus, ægros perpetuò vexant, vomitum, quoties opus sit, movere, ut acibus et irritantibus stomachus exinaniatur, utilissimum est; neque, profectò, dum hoc factum sit, possunt roborantia medicamenta, et diætæ atque exercitationis ratio, ad morbum optatò percurandum valere.

LXXXVI. *SPASMI.*

LXXXVI. *SPASMI*.—Sicubi sit, cur credant medici, accessiones *asthmatis*, *pertussis*, et *pyrosis*, cruditatibus, alienisve quibusquam stomachum gravantibus irritantibusve, excitari, ægris lenem identidem vomitum movere et tutum erit et perutile. Quippè, purgato sic stomacho, accessiones, uti rariores fient, ita leviores quoque minùsque periculosæ.

LXXXVII. Quinetiam, pituitosâ spirandi difficultate vexatis leni subindè vomitione subveniendum est; quò, distributo æqualiùs sanguine, et sic de pulmonibus et aspera arteria, ex parte, derivato, pituita in has partes parciùs effundatur.

LXXXVIII. *VESANIÆ*.—Insanis, porrò, et melancholicis vehemens ac frequens vomitio nonnunquàm, at minimè semper, prodest; aut commovendo concitandove cerebrum et nervos, eorumve habitum emendando, sic ut nervosa natura in omnes æqualiter corporis partes transmittatur; aut faciendo, ut emollian-
tur

tur resorbeanturque duritiæ, quæ hujus naturæ transmissui officiant.

LXXXIX. *INTUMESCENTIÆ AQUOSÆ.*—In hydropibus itidem, dummodò sinant sedes aquæ, et ægrorum vires, vomitus vehemens auxilium est. Sanguine enim æqualiter quoqueversùm diffuso, ideoque halitu ex patulis arteriis tam per cutem, quàm in vias, copiosiore, quàm ex consuetudine, moto, facit, ut in cæca cava halitus solito parcior sit; dum, concitato per venas sanguinis reditu, ideoque humore per vasa bibula in has citatiùs derivato, simulque enixiùs propulso, consequitur, ut ex cæcis cavis effusæ aquæ copiosiùs resorbeantur.

XC. *IMPETIGINES.*—Modò *icterus* oriatur à concretis felleis, in ductu *hepatico choledochove* inhærentibus, impredientibusque quò minùs fel perlabatur in summum intestinum, vomitio longè efficacissimum remedium est. Vehementissimis

hementissimis enim abdominis musculorum inter vomendum contractionibus, ductus, à tergo, bile turgidi, contiguis visceribus usquè eò comprimuntur, ut bilis in summum intestinum concreta protrudat.

FINIS.

